CAROLO FONTANINI

SEDEM EPISCOPALEM

CONCORDIENSEM

ADEUNTI

JO. DOM. BROVEDANI

HUMANITATIS

PRÆCEPTOR

D.

ECLOGA

ALTER nunc, subita ex quo Thyrsis morte peremptus
Agros deseruit nostros, jam labitur annus.
Lemenis heu quantus luctus tunc arva premebat!
Occiduis veluti phœbus cum tingitur undis,
Nigraque de cœlo toti nox incubat orbi,
Omnia perfusis reticent et mœsta sub umbris;
Agris haud aliter nostris tum cuncta dolebant.
Non inter densas corylos, densasque myricas
Alternis volucres mulcebant cantibus auras,
Non lætus Corydon recubans sub tegmine fagi,
Ad fontes notos dulces nec Phijllis amores
Cantabant calamo; pecudes pecudumque magistri
Valles et sylvæ, fontes, et flumina Ruris
Flebant quod Thyrsin fatum percussit acerbum.
Desine sed mœstos, mea fistula, desine versus.
Nam post tot lacrymas, post tot ferventia vota
Nos tandem cœlo respexit Numen ab alto,
Respexit tandem, cura captumque malorum

Nunc alium nobis Solamen dulce ferentem
Largitur Thyrsin, Pastorum gloria, Thyrsin.
Incipe nunc lætus ergo, mea fistula, versus.
Littora sunt Thyrsi venturo nostra beanda:
Dulcia pastorum pertentant gaudia pectus:
Exiliunt comptæ festivo more puellæ,
Exiliunt pueri præcincti tempora sertis
Florentes manibus quassant ferulasque bubulci,
Lilia miscentes thymo foliisque rosarum
Perfundunt terram, qua processurus odore.
Incipe nunc lætos ergo, mea fistula, versus.
Thyrsis adest, et jam senserunt omnia Thyrsin.
Purior est aer, insueta sol luce coruscat,
Mobilibus placidæ colludunt frondibus auræ,
Rivulus ac undis urget trepidantibus undas
Herbosas inter grato cum murmure ripas;
Gratia prima redit. Dulces en vitibus uvæ,
En poma arboribus pendent, en gramine pingui
Prata virent; flavescunt messibus arva.
Et flores veluti recreati aspergine roris
Adventu Thyrsis, tollentes caudice colla
Virgineos pandunt calices, foliasque rubentes
Et gratos circum fundunt de cespite odores.
Incipe nunc lætos ergo, mea fistula, versus.
Ecce tenet sylvas, et cætera rara voluptas.

Faginea volucres densa sub fronde latentes
Hos inter lucos emittunt gutture cantus,
Dum cornu tauri, cursu saltuque capellæ
In pratis alacres gaudent certare vicissim.
Incipe nunc lætos ergo, mea fistula, versus.
Fontibus excitæ Nymphæ, silvisque Napææ
Capripedes Fauni, læti Satyriquæ bicornes
Plaudentes Thyrsi ducunt per gramina saltus.
Tityrus, et Corydon, Damœtas, Mopsus, Amintas
Silvestrem calamum, quem quis suspenderat ulmo
Vicinæ capiunt, et Thyrsis amore calentes
Dant ori, ac omnes modulantur carmina Thyrsi;
Carmina, quæ valles reddentes saxaque pulsa
Auribus arrectis vicino ab limite Turrus,
Adriacus pontus, nec non Liquetius audit,
Felicemque canunt vitam sortemque beatam,
Quum tantum nobis donarunt Numina Thyrsin.
Dic quæ nos maneant, mea fistula, fata secunda.
Auctus doctrina divino incensus amore,
Presaga sortis donatus mente futuræ,
Constanti fervens animo fortique periclis,
Humanisque modis pariter spectandus, et omnis
Clarus deprompta cœlo virtutis honore
Tot noxas Ruri, Gregibus tot funera passa,
Sacratasque venit leges reparare jacentes

Thyrsis posthabitus nullis a Numine missus.
Dic, quæ nos maneant, mea fistula, fata secunda.
Ut prolis mater nimio quæ flagrat amore,
Ne quid forte mali metuens contingat in illam
Furtim fert oculos, sequitur, quo tendat, euntem
Ludendi studio, præsto semperque periclis,
Et gremio complexa fovet, si quando queratur,
Demulcetque manu, et dictis blanditur amicis,
Oscula defigens, sic nos quoque Thyrsis amabit;
Valles et colles montes lustrabit, et agros,
Commissas visurus, oves, oviumque magistros.
Sin fœtus teneros mactantia monstra ferarum
Discurunt agros; statim cum venerit ipse
Rursus præcipiti fugient in tartara cursu.
Dic, quæ nos maneant, mea fistula, fata secunda.
Duros haudquaquam parcet tolerare labores
Ut, quæ sordescens cæcis erroribus acta
Nescia pastoris per devia saxa capella
Palatur, repetat divinum rursus ovile;
Ut fontis vivi salientes ducat ad undas
Depulsam putridis. Limosis pascua scirpis,
Sentibus, ac herbis satagens purgabit amaris.
Pastores vigiles mulcebit laudis honore,
Arguet ignavos, raptores pellet ab agnis.
Nunc telum et radius fiet, quandoque favusque.

Dic, quæ nos maneant, mea fistula, fata secunda.
Amplius haud lædent febris contagia septa,
Nec metuent armenta lupos, rabidosque leones.
Florenti cytiso postbac depasta capella
Ubera pastori referet turgentia lacte,
Pinguibus, et multis semper lætabimur agnis,
Totaque florebunt Thyrsis moderamine Rura.
Oh salve, o Thyrsis, salve o, quem multa precati
Munere cœlesti largitum novimus esse,
Ruribus ut fieres nostris columenque salusque.

SANCTI DANIELIS
MDCCCXXVII.
TYPIS ANTONII BIASUTTI